





160

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

=

9.

10.

11.





1668.

1. Binder, Fridericus: De jure albergeriae
2. Koch, Johannes Fridericus: De remediis juris extraordi-  
nario minoribus XXV annis competente
3. <sup>1</sup> Borner, Henricus: De jure illius, cujus pecu-  
nia creditor alterius fuit dimissus. 2. <sup>2</sup> Summ.

1668: 1707.

4. Proemdius, Joh. Henricus: De cambiis.
5. Frester, Christianus Michael: De dote
6. Graff, Johannes Georgius: De jure aggrationis.
7. Haebmann, Julius: De jure albinagii
8. <sup>1</sup> Noven de Windtschlee, Henricus Michael: De archibus
9. Rehharius, Johannes: De indicibus delictorum in genere.
10. Rehhan, Johannes: De chartis et bacillis incisis
11. Rehan, Johannes: Magd d. 1704. 1708. Magyariorum  
sive selectarum quaestionum in finiarum et collegii  
Invid. Argent. interpretationum directarum decades IIIX  
quaest. IV, V et VI.



1668.

12. Schallerus, Jacobus : De origine juris. 7. 9.
13. Hockken, Gerhardus von : De jure odioso 8.
14. Hockken, Gerhardus von : De contractibus incommutatis 8.
15. Hoesserus, Johannes : Annona sive repetitio a caduca  
ad tit. d. et C. d. annonis eorumque officio 9. 9.

1669.

1. Boederus, Francus Mauricus : De congressibus et colloquiis  
principum. 10. 11.
2. Boederus, Samuel : Repetitio paratitularis litt. d. et C.  
de poenis 12.
3. Bullenius, Johannes Valentinus : De jure naturae 13.
4. Deckherr, Johannes : De dubio.
5. Findelkeller, Johannes Siegmundus : De proxenetis  
et proxeneticiis 14.
6. Gabler, Johannes Mauricus : De elogiis juratis (vulgis).  
Verfunden. 15.



1669.

7. Gump, Johann Caspian: De vi et efficacia clausulae  
mit oder ohne Recht.

8. Grobmann, Alexander Joh: De personis ad judicium  
pertinentibus.

9. Gump, Joann Conradus: De doli clausula eius  
formula vulgaris, Falsch und ohne Gefährde<sup>s</sup>

10. Herpfer, Conrad: De privilegiis pauperum.

11. Herbenstein, Johann Henricus: De bonis parapher-  
malibus.

12. Nehring, Johann Christophorus: Decades hercane  
lorum

13. Rebharius, Johannus: De relaxatione a juramento  
praestito.

14. Richskuffer, Johann Trachimus: De mendacio et ejus  
forma.

15. Schragius, Fidericus: De fidejussoribus correoribus  
Jebendi multis ad Nov. 99.



1664.

16. Sand, Johannes Christophorus: De dominio fidelis

17. Ketten, Johannes Hieronymus, a: part I reformatio-  
nis Francopurteuris ad lit. 28 usque ad finem  
cum jure civili collatio continuata.

18. Hockken, Gerhardus von: De potestate legatoria



1  
100  
100









DISERTATION JURURALIS  
JULIUS

LEONHARDUS  
FRANCO

1774









12870.

66.

13

C. I. N. D. N. I. C.

# PARALIPOMENON

MEJERIANORUM,

*Sive*

SELECTARUM QUÆSTIONUM  
JUSTINIANEARUM,

Ad uberiolem Collegij Jurid. Argent. inter-  
pretationem directarum,

DECAD. IIX. QUÆST. IV. V. & VI.

*Quas*

SUB PRÆSIDIO.

*Viri Nobilissimi & Consultissimi,*

Dn. JOHANNIS REBHAN, JCTI,

COM. PAL. CÆS. COLL. JURIDICI

in hac alma Argentoratensi, h.t.

Decani, Senioris, Cod. &

Feud. Prof. Ord.

Doctoris ac Favitoris mei omni observantiæ  
cultu prosequendi.

*In solemnibus Eruditorum Confessu  
disputaturus*

FRANCISCUS MICHAEL NEVEV,

DE WINDTSCHLEE.

*Ad diem 11 Mensis Martii.*

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,

Imprimebat JOHANNES Schüss.

Anno M. DC. LXIIX.

3f.

1668, 31.





PERILLUSTRI ET GENERO-  
SISSIMO DOMINO,

Dn. JOHANNI PAULO Hochherrn/  
L. BARONI, &c. S. CÆS. REGIÆQUE, HUN-  
GARIÆ & BOHEMIÆ MAJESTATIS  
CONSILIARIO INTIMO & CAN-  
CELLARIO AULICO  
SUPREMO, &c.

DOMINO & PATRONO MEO  
gratiosissimo,

DISPUTATIONEM HANC JURIDICAM,  
in mei, meorumq; studiorum com-  
mendationem,

*Ea qua par est devotione offero  
& consecro,*

FRANCISCUS MICHAEL NEVEU.



Q U A E S T I O IV.

*An ex ipsa l. Iulie sanctione adulterij pœna fuerit ultimum supplicium?*

Ad C. I. A. 48. ff. 5. th. 17. n. 1.

**A** Dulterium non more Civitatis, aut Jctorum demum  
interpretatione; sed sua sponte & naturâ turpe esse, atq;  
ut *Asconius* ait, nullo etiam prohibente evitandum,  
ipsa recta dicitur ratio. Fœditates & turpitudines  
hujus criminis vivis quasi coloribus depingunt *Mascard.*  
1. *de probat. conclus. 57. num. 1.* *P. Heig. 2. quest. 27. num. 1.* & novissimè  
*Carpzov. 2. prax. crim. 57. num. 14. & 25.* Hinc ipsis etiam gentili-  
bus adeo semper improbatum fuit, ut vix ulla dici possit natio,  
quæ non in adulteria legem aliquam tulerit, aut judicia exer-  
cuerit. *Lindenbrog. in gloss. ad l. Longobard. in v. adulterium:* quam-  
vis, quod negari non potest, non eadem, semper, nec ab omni-  
bus in criminis hujus Reos animadvertendi probata & observata  
fuerit ratio: quippe quod alij id vel bonis tantum, vel infamia,  
vel verberibus, vel deformitate & cœcitate, vel virilitate, non-  
nulli etiam exilio, & morte ipsa puniverint. *P. Aërod. 8. rer. judi-*  
*cat. 5. c. 4.* De ipso populo Romano, omnium sapienti, *an & quæ pœna*  
*adulterio sancita fuerit?* adeo parum certum est, ut plerique dubi-  
tent, utrum ante *Impp.* tempora ullum in adulteros constitu-  
tum fuerit iudicium publicum, ne dicam, supplicium: certè non  
mortis pœna, sed si qua vindicatum, vindicarunt levius: &  
plerunque ex lege à *Romulo* lata, adhuc in *Republica libera*  
per mores obtinente, mariti ipsi de uxoribus adulteris, adhi-  
bitis propinquis, cognoverunt, & de illis statuerunt, ita ut,  
quod ex *Carone* refert *Gellius, 10. N. A. 23.* marito etiam licitum  
fuerit, uxorem in adulterio deprehensam impunè occidere. Insti-  
tutum nostrum non est, eo usq; excurrere, & antiquiora perscru-  
tari; sed tantum quid sub *Impp. Roman.* obtinuerit: imprimis  
verò sub *Octavio Cæsare Augusto Imp.* quem, certum est, de  
*Adulteriis & impudicitia* iudicium introduxisse in *Rempubli-*  
*cam,* & jus certum in deprehensos constituisse. *Vid. l. i. ff. ad l. Jul.*  
*de Adulter. Sueton. in Augusto, C. 34.* sed utrum hoc ipsa sua sanctione

A

ulti-



- ultimum supplicium sive mortis pœnam dictarit, irrogarit? non æquè certum est. Lips. *ad Tacit.* 4. *annal.* cum alij *id affirmant*: alij contra *id negent*, & l. Julia de adulteriis, nec mortem, nec exilium fuisse irrogatum asserant. Dispiciamus hac vice utriusque opinionis fundamenta. Illi qui *affirmant* pœnam capitis ab ipso Augusto Imp. per l. Juliam adversus adulteros sancitam fuisse; quos inter est Menoch. *de A. I. Q. casu* 290. *num.* 3. Coraf. 2. *miscell.* 1. *num.* 8. P. Theodor. 6. *crim.* 3. *lit.* L. Lyclama 2. *Eclog.* 9. Hunn. *ad Treutl.* 2. *disp.* 31. *th.* 6. *quæst.* 54. & *disp.* 32. *th.* 2. *quæst.* 27. Schickhard. 20. *disp.* 4. *lit.* C. *quæst.* 6. Paul. Berens. 18. *disp.* 1. *quæst.* 7. Gœdd. *adl.* 101. *n.* 4. *ff. de V. S.* Thoming. 1. *decis.* 42. *num.* 18. hisce innituntur: 1. §. *item l. Julia.* 4. *J. de public. Jud.* ubi ipse Imp. noster, atq; sic testis omni exceptione major, refert & testatur, ibi. *Item lex Julia de adulteriis coercendis, temeratores alienarum nuptiarum gladio punit.* quem probat Theophil. Paraphrastes Græcus, *eod.* ibi: Ἐστὶ καὶ ὁ Ἰούλιος de adulteriis, τιμωροῦμεν τῶν ὑβρίζοντων ἀλλότριον γάμον, καὶ ὑπὸ βάλανον κεφαλικῆς τιμωρίας. Tantoque minus de hac Imperatoris Justiniani relatione & attestatione dubitandum, cum idem ante Imp. nostrum asserat
- 6 Imp. Alexander A. *in l. castitati.* 9. *Cod. ad l. Jul. de adulter.* qui expressè dicit: *Castitati temporum suorum convenire, lege Julia de pudicitia damnatam in pœnis legitimis* (quam in verbis statim in sequentibus definit pœnam capitalem) *perseverare*: quo de etiam refertur, eum, tempore Imperij sui, ultra tria millia adulterorum occidisse. Unde 3. Imp. Diocletianus & Maximianus nulli dubitarunt, adulterij crimen inter ea referre, quorum pœna ultimum supplicium, *in l.* 18. *C. de Transaction.* Quibus denique accedit. 4. auctoritas Christianorum Imp. omnium primi, Constantini M. qui non tantum *in l. uxor.* 7. *C. de repud.* capitalis pœnæ adversus adulteras, facit mentionem: Verum etiam *in l.* 30. §. 1. *C. ad l. Jul. de adult.* legis Juliæ sanctionem expressis verbis repetit, ibi, *sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet.*
- 9 Verum enim verò, contraria *negantium* sententia, quam etiam C. I. A. *d. l.* tradit & sequitur, cum Cujac. 6. *observ.* 11. & 20. *obs.* 18. Hottom. *quæst. Illustr.* 23. Tiraquell. *de ll. connub.* *in l.* 13. *num.* 20. Coraf. 2. *miscell.* 1. Ant. Faber. 2. *conject.* 20. *n.* 2. P. Ærod. *d. l.* Ant. Matth. *tr. de crim. T. de adulter.* c. 11. *n.* 1. Menoch. 2. *A. I. Q.* 5. *casu* 290. & 419. Bocer. *tr. de adult.* c. 5. *num.* 68. Harprecht. *ad d.* §. 4. *J. de Publ. Jud.* *num.* 79. Berlich. 4. *concl. pract.* 27. *num.* 16. Carpzov. 2. *prax. crim.*



§2. & seq. num. 26. & 2. decis. 167. num. 19. Wesemb. in π. ff. ad l. Jul. de adult. num. 19. Dn. D. Hahn. ad eund. in observ. num. 16. Cl. Bernegger. 1. ad Sueton. August. 5. lit. K. & juris nostri & populi Romani Historiæ convenientior, atque inde etiam verior habetur, pœnam scil. adulterij, secundum legem Juliam ab Augusto ipso latam capitalem non fuisse: gradus tamen suos habuisse, pro delicti circumstantiis, aut Principalis clementiæ modo. Etenim 1. ex Jure nostro constat, quod d. l. Julia vetet. 1. uxorem adulterij convictam & damnatam in conjugio retinere. l. 11. §. ult. ff. ad l. Jul. de adulter. 2. eam in uxorem ducere. l. 37. §. 1. in fin. ff. de Minor. l. 13. ff. de his que ut indign. l. 29. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. 3. aut in concubinam habere. l. 1. §. 2. ff. de concubin. 4. nec in testem deducere. d. l. 29. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. l. 14. ff. de Testib. l. 20. §. 6. ff. qui Testam. fac. poss. 5. nec inter milites recipere. l. 4. §. adulterij. ff. de re milit. frustra autem omnia hæc caverentur, si l. Juliã pœna mortis fuisset sancita, atque reatus hujus criminis non nisi ultimo supplicio expiari potuisset.

10

*Et via ista videtur, ut major reatur Criminis gignere, ut gratia et alio alij aut Ordinarjæ yb*

Nec relevabit, si quis ex d. l. 9. C. ad l. Jul. de adult. reposuerit; casus hosce accipiendos esse de illis, qui quocunque modo capitalem hanc pœnam evaserunt. Siquidem extra omnem verisimilitudinem est, quod l. Julia sanciendo in adulteros pœnam capitis, simul hoc, & quidem rarissimum contingens considerarit, & tam sollicitè de eo constituerit, contra l. 3. l. 4. l. 5. ff. de ll. & cum crimen capitale confessi, deq; eo pariter legitimè convicti carceri mancipentur, ut velox eos subducatur pœna. l. 5. ff. de custod. & exhibition. reor. l. 4. in fin. princ. ff. ad l. Jul. Majest. l. 7. princ. ff. de pœn. l. 3. C. de exhib. reis, l. 2. C. de custod. reor. l. 18. C. de pœn. non possunt tales damnati evadere, nisi effracto carcere: quod ipsum etiam capitale est. l. 13. ff. de custod. & exhib. reor. l. 1. ff. de Effract. l. 13. §. 5. ff. de re milit. aut à custode dimissi fuerint, quod valdè difficile est atque periculosum. l. 4. C. de custod. reor. l. 4. in fin. pr. ff. ad l. Jul. Majest. l. 12. ff. de custod. & exhib. reor. l. 38. §. 11. ff. de pœn. quippe quod Rei elapsi, maximè ubi publicè interest, denuò curiosè inquiri soleant. l. ult. §. 6. ff. de custod. & exhib. reor.

11


*Sollicitè omnino, & cuius modo pœna beneficiis*

*Pia l et alij modi.*

Atque hoc ipsum sic sese revera habere, exinde quoque patescit, quod in d. l. 9. in princ. Imp. dicat; eam que semel l. Julia de pudicitia damnata est, in legitimis pœnis perseverare debere: Consequenter non loquatur de pœna mortis, ceu quæ semel inflictæ, revo-

12

*Omnino, sup n. 3 ad illerij damnati rem temporis A ubi senty ipse*





cari & mutari non potest : proindeque frustraneum foret, si juberet, ut damnata in pœnis permaneret; sed de illis veteribus, & variis l. Juliae pœnis, à quibus temporis longinquitas damnatas non eximit : quamvis verba illa etiam hocce quis interpretari possit modo, nempe, velle Imp. Alexandrum, ut legitimæ pœnæ perseverent, h. e. à judice non mutantur. Cum tempore Alexandri Imp. ( seu potius Gordiani Junioris, qui paucis post annis Imp. Alexandrum subsequutus est, & sub quo Sabinus & Venustus Consulatum gessere, ) adulterij damnatus restitui potuerit. *l. 12. C. ad l. Jul. de adult.* ij verò soli criminis damnati restitui possint, quibus mors non infligitur. *ii. ff. & C. de sentent. pass. & restit.* sequitur itaque, saltem Gordiani Imp. tempore, non fuisse in adulteros pœnam capitis sive mortis receptam: atq; ita capitalis pœna in *d. l. 9.* non sit vitæ amissio, sed alia quævis. confer. quæ dixi in *Hodeget. p. 861. de v. capitalis, ambig.* aut, quodque verisimilius videtur, in *d. l. 9. ff. ad l. Jul. de adult.* verba illa: *si quocunque modo pœnam capitalem evaserit* : non esse Alexandri, sed addita ex insequentium Imp. constitutionibus à compilatoribus Codicis Justiniani, & quidem ex ipsius Imp. Justiniani mandato. *Constit. Hec quæ. §. 2. C. de N. C. fac. & Constit. Summa. §. 3. de N. Cod. confirm.* propterea, quod illa Alexandri constitutio locum habere non possit, nisi perrarò, tum scil. si aliquo modo evaserit pœnam capitalem; ad quem casum etiam redigenda erit *d. l. 12. C. ad l. Jul. de adult.*

- 13 Minus refragatur *d. §. item l. Julia. 4. F. de publ. Judic.* gladio enim temeratores alienarum nuptiarum dicitur l. Julia punire, non uti ea lata est ab Augusto Imp. sed ut ea emendata est ab Imp. posterioribus, quorum constitutiones, quia l. Juliae fuerunt adjectæ, ideo quoq; ejusdem legis pars esse videntur. *arg. l. 11. §. ult. ff. ad l. Corn. de Sicar. l. 1. in fin. C. de rapt. virgin. l. 15. pr. ff. ad l. Corn. de fals.* quæ interpretatio neutiquam divinatoria, minus contradictionem implicat: quin potius cuivis ne quidem dubitandum sit, verba hæc Tribonianum adjecisse, quod facilè patescit ex *§. 5. F. de public. Judic.* ubi etiam dicitur, quod lex Cornelia de Sicariis, persequatur homicidas ultore ferro: quod tamen non, ut à Cornelio Sylla eadem est lata; sed ut est consuetudine correctæ, accipiendum: uti apparet ex *l. 3. §. 5. ff. ad l. Corn. de Sicar.* quomodo etiam in *l. 7. §. ult. ff. ad l. Jul. repetund.* dicitur: hodie ex l. Julia repetundarum

extra-



extraordinem puniuntur, &c. quod l. Julia ipsa ne cogitavit quidem. M. Anton. Delrio. *ad l. transigere. 18. Cod. de transact. num. 91.*  
 4. Et sanè, adulterum olim ex Jure certo, ultimo supplicio non fuisse affectum, inter alia etiam ex hoc apparet, quod, ut supra innotuit, de adultero adulterij damnato, quærat: an possit ad Testamentum adhiberi testis? item de Adultera, an hæc, præter Testamentum, in aliis negotiis in testem produci possit? & responderetur de utroque, quod non, in l. 14. l. 18. ff. de Testib. l. 20. §. 6. ff. qui Testam. fac. poss. quæ certè inter domitianas aliàs referendæ essent quæstiones; plus enim quam ridiculum esset dubitare; an ultimo supplicio affectus Testamentum condere possit? aut ad illud Testis adhiberi?

Probatur etiam idem §. ex l. si quis §. ff. de Question. Si enim is, qui incestum cum adulterio committit, & ideo ob duplex crimen jure meritoq; gravius puniendus est, tantum deportatione punitur, utique adulter simplex, ne deportatione quidem regulariter damnandus erit, sed leviori quadam pœna, relegatione scil. vel publicatione partis bonorum, vel multa aliqua pecuniaria graviore.

Quibus. 6. accedit, quod is qui domum suam præbuit, aut aliud quid, quod lex Julia sub pœna adulterij prohibet, facit, puniatur quasi adulter. l. 2. §. 2. l. 8. in princ. l. 14. ff. ad l. Jul. de adulter. l. 37. §. 1. ff. de Minor. Attamen, e. g. mulier, ex tali causa damnata, potest esse in alterius matrimonio. l. 29. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. E. dici non potest, quod ultimo supplicio fuerit affecta. Item, miles qui tale quid facit, quod l. Julia pro adulterio puniatur, deportatur. l. 11. ff. d. tit. cum itaque in milite pœna soleat exasperari, ut l. 7. §. ult. ff. ad l. Jul. Majest. l. 14. ff. de pœn. necessum est, in non milite pœnam esse mitiorem.

Urget 7. quod adulterij damnatus vel alio Judicio publico non capitali, inter milites non sit recipiendus. l. 4. §. 7. ff. de re milit. & miles lege Julia de Adulteriis damnatus, ita infamis fit, ut etiam ipsa sententia eum sacramento militiæ solvat. l. 2. §. 3. ff. de his qui not. in fam. at damnatus crimine capitali non tantum non recipitur, sed etiam capite punitur: cum enim id in reo capitis dicatur, d. l. 4. §. 5. multo magis dicendum idem est, in capitis damnato. Insuper 8. hoc quoque argumento est, quod in capitalibus criminibus absens defendi possit, ne scil. inter reos



fact 3.

recepti bona fisco committantur. l. 3. C. de accusat. l. 33. §. 2. ff. de procurat. atqui receptus inter adulterij reos absens defendi non potest. l. 11. §. 2. ff. ad l. Jul. de adult. quia pœna non progreditur ad deportationem vel mortem. l. 5. ff. de pœn.

20

Atq; hinc etiam 9. Græci Interpp. referente Cujac. 20. obs. 18. testantur, adulterium non fuisse capitale secundum veteres leges & constitutiones Codicis, tam Hermogeniani, quam Gregoriani: ita ut & illud quod D. Augustin. 3. de civit. Dei, c. 5. dicit: antiquitus adulteria apud Romanos non fuisse morte punita, ad l. Juliam non incommodè referri possit.

lib. vi. c. 21

adulteri pœna  
de factis, ad  
hanc eos pœna  
hinc in legibus  
curant, qd ad  
e legibus in libro  
de adulteriis testat.

Imprimis verò, 10. testatur hoc Vell. Paterc. lib. 2. ubi de variis adulteris, qui Juliam Augusti Imp. filiam, Neronis Uxorem violarant, dicit, quod pœnas pependerit, quasi cujuslibet uxore violata. Ast de Sempronio Graccho, de quo etiam Paterculus loquitur, testatur Tacitus. 1. annal. 53. quod amotus Corcinam, Africi maris Insulam, quatuordecim annis exilium toleravit. idem de aliis adulteris testatur & laudat Seneca. in libr. de clement. quod cum potuerit legis pœnam excedere jure, ob domum suam adulteriis violatam, maluerit tamen legis pœna etiam in adulteros contentus esse. Sic Tacit. 4. annal. 42. Tiberius objectam sibi adversus Reos inclementiã eo pervicacius amplexus, Aquiliam adulterij delatam cum Vario Ligure, quanquam Lentulus Gentulicus consul designatus eam l. Julia damnasset, exilio punivit. Si igitur inclementius punitur, quàm ex l. Julia punienda esset, ea, quæ punitur exilio sive deportatione. l. 2. §. 1. ff. de publ. Judic. tum certè l. Juliae pœna non fuit capitalis, sed mollior aliqua, scil. relegatio. Idem referente Tacit. 1. annal. 53. filiam ac neptem ob impudicitiam urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga punivit. Nam culpam interviro ac fœminas vulgatam, h. e. adulterium gravi nomine læsarum religionum ac violatæ Majestatis appellando, clementiam majorum, suasque ipse leges egrediebatur. Ex his itaque arbitror, satis evidenter apparere, per ipsam l. Juliam & ex ejusdem sanctione pœnam adulterii non fuisse capitalem. Quando autem eadem talis facta & hactenus immutata fuerit? communis est Dd. traditio, talem factam esse cõstitutione Constantini Imp. Nov. 134. c. 10. princ. non quidem illa, quæ hodie in Codice repetitæ quem vocant prælectionis Justiniani Imp. refertur. l. 30. C. ad l. Jul. de adult. Sed alia aliqua constitutione, quæ hodie non amplius

22

ne se  
in mi  
nobis  
venit  
Tiberi  
de f



plius extat. Nam *d. l. 30.* desumpta est ex *l. 2. C. Th. eod.* ubi versic.  
*ille*, in fine *d. l. 30.* adjectus, non habetur. Quin etiam ante *d. l. 2.*  
*adulterii pœna capitalis fuerit*, apparet ex *l. 1. C. Th. de indulg. Crim.*  
 ubi inter ea, quæ indulgentiam non merentur, refertur: cum ta-  
 men *d. l. 1.* lata sit Probiano & Juliano Coss. An. Christi 322. Con-  
 tra autem *d. l. 2.* lata sit Constantino Magno, Imp. VII. & Con-  
 stantio Cæs. IV. Coss. h. e. Anno Christi. 326. quin immò adul-  
 terium fuisse capitale jam Coss. Volusiano & Aniano, h. e. Anno  
 Christi. 314. constat ex *l. 16. C. de pœn.* quæ in *Cod. Th.* est *l. 1. eod.*  
 Post Constantinum Magnum, Constantius & Constans Imppp.  
 severius animadverti voluerunt in adulteros, eosque tanquam  
 manifestos parridas aut culeo insui, aut vivos exuri jusserunt. *l. 4.*  
*C. Theod. quor. appell. non recip.* Itaque sub Christianis Imppp. ordina-  
 ria adulterii pœna ultimum fuit supplicium, sive capitis & vitæ  
 amissio, quod ex variis tum sacris, tum prophanis auctoribus, qui  
 sub Christianis Imppp. scripsere, docet Cujac. *d. 20. observ. 18. in fin.*  
 & manifestò etiam colligitur ex *l. 2. C. Th. de indulg. crim.* si cum ea-  
 dem conferantur *l. 1. l. 3. l. 4. l. 6. l. 7. l. 8. C. Th. d. t.*

Cur autem postea Justin. Imp. Nov. 134. pœnam capitalem  
 in adultera iterum sustulerit, eamque virgis cæsam in monaste-  
 rium mitti voluerit, & quidem ita, ut à Viro ante biennium ei-  
 dem reconciliata recipi possit: non recepta autem à viro intra bi-  
 ennium, aut viro intra biennium mortuo, adultera tonderi debeat,  
 sicque habitu monastico suscepta, quamdiu vivit, in monasterio  
 permaneat: substantiâ mulieris propria, si liberos habeat, ita  
 inter hos & monasterium divisa, ut liberi habeant bessem; mona-  
 sterium verò trientem: Si verò nullos habeat liberos, habeat autem  
 Parentes adulterio non consentientes, tum triens perveniat ad pa-  
 rentes; bes verò ad monasterium: quod si nec parentes habeat, tum  
 tota mulieris substantia cedat monasterio: sc. substantia illa, quam  
 extra bona dotalia habet: Nam dos tota cedit lucro mariti.  
 Nov. 117. c. 13. l. 36. v. nobis verò. C. ad l. Jul. de adult. l. 8. §. 5. l. 11. §. ult. C. de  
 repud. l. 7. pr. ff. de bon. damnat. c. 9. X. de donat. inter vir. & uxor. l. 11. §. 3.  
 ff. ad l. Jul. de adult. l. 47. ff. solut. matrôn. non quidem per retentio-  
 num verborositatem, sed alio constitutionibus remedio introducto.  
 l. 1. §. 5. C. de rei uxor. act. & hætenus propriæ substantiæ sive bonis  
 mulieris, dos opponitur. Novell. 117. c. 13. Quin immò de propria  
 etiam substantia adultera marito præstat, quantum facit tertia  
 pars

*Na. y. tm. a. for.  
 ant. ca.*

23



pars dotis. *d. Novell.* 117. c. 18. aut si indotata sit mulier, dabit  
 adultera marito quartam partem bonorum suorum, si ea sint 400.  
 aureorum aut infra hanc summam: quod si verò adulteræ bona  
 summam 400. aureorum excedant, non quartam partem suorum  
 bonorum, sed 100. aureos marito innocenti dabit *l. 11. §. 1. 2. C. de  
 repud. &c. cur, inquam, Imp. Justin.* illam in *Instit. §. 4. de publ. Jud.*  
assertam capitalem pœnam hac Novella abrogatam & remissam  
adulteris voluerit, ratio nulla apparet: & si res voti esset, omni-  
nò optandum, Imp. potius securitati conjugali, proli, educationi-  
que liberorum atque ita humanæ societati Imp. Christianis an-  
terioribus probato rigore consulisset potius, quàm ut elogium  
amatoris castitatis ambiens Nov. 74. c. 4. legitimam hanc, & legis  
Divinæ præscripto in vindicando adulterio convenientē pœnam  
sic temerasset, castitatiq; summo illi sexus fœminei ornamento.  
*Nov. 8 c. 6. in fin.* longum q. vale dixisset Imperator Christianissimus,  
 uti laudatur à Johanne Papa, *can. 21. de Consecr. dist. 1.* inter Christianos,  
 qui templū DEI Opt. Max. esse debent, cuiusq; antistes & ædituus  
 est Pudicitia, ut inquit Tertullianus: adeo enim exinde per univer-  
sam Rempublicam Christianam, non tantum pœna hac adulterij  
capitalis abusu recessit, ut nusquam amplius, nisi fortè certis casi-  
bus, in foro Saxonico, obtineat, uti hoc testantur Wittum consil.  
*crim. 8. p. 450. Heig. 2. quest. 29. num. 74. Damhouder. in prax. crim. c. 89.*  
*n. 53. & seqq. P. Gregor. 36. syntagm. 6. n. 21. Rittershus. 12. Nov. 5. n.*  
*22. & ab his allegg. Fichard. 1. conf. 65. n. 1. & 2. conf. Germ. 115. n. 8. ibi.*  
*ich weiß von keinem Land / auffer dem Chur und Fürstenthum Sachsen /*  
*darinnen der Ehebruch mit dem Schwerdt gestraffet würde. Besold. 4.*  
*conf. 174. n. 16. Klock. 3. conf. 194. n. 144. & seq.* ita ut parum absit,  
 quin pro lepida potius indole, & alacritate laudabili, quam crimi-  
 ne passim habeatur, uti ait Johann. Faber *ad d. §. 4. J. de publ. Judic.*  
 Clarus. *§. adulterium. n. 7.* ubi hanc *ἐπιτιμωσις* addit, ibi: judicio meo, hic  
est unus ex casibus, in quibus Christiana Respublica indigeret re-  
formatione. Negari sanè non potest, in hoc crimine versari aliquid  
humani vitii, quodque accusare aliquanto facilius, quàm vitare:  
propterea tamen non putandum, nullam vel leviolem saltem  
animadversionem definiendam esse: an autem gravissima statim?  
ne hoc dixerim; cui n. bono severitas, quæ damnosa est? uti de  
Alexandri Imp. rigore, cujus supra enim feci mentionem, refe-  
runt Historici, quod coactus tandem de adulteriis negligentius  
 quare-



quærere : utrumque interdum accidit, ut pœnas obdelictorum frequentiam nunc exasperare conducat, modo remittere : perpetua autem pœna, neglectis facti circumstantiis, promiscuè animadvertere, vix tutum, minus consultum. P. Ærod. *d.l.* sed subsisto, & curam hanc curæ Magistratus pij & justi prudentiæ administratoriæ relinquo.

## QUÆSTIO V.

*Qua sit vera peculij divisio: & an peculium adventitium sit species quaedam q. Castrensis peculij?*

C. I. A. 15. ff. i. th. 3. per tot. & 43. ff. 17. th. ult.

Quam silentio præterii supra, & quidem loco ad institutum nostrum magis commodo, de Peculij divisione, disceptationē, eam nunc demum sub disputationis incudem revocare placuit. Sanè est ita, quod vulgaris illa peculij divisio, qua dividitur in paganum & militare : paganum porro in profectitium & adventitium ; militare verò in castrense & quasi castrense subdividitur, ab utriusq; scholæ Doctoribus probata & recepta sit : atque ideo, cum verba & præsertim hujusmodi artis cujusdam termini usu valeant, sicut nummi, ut est in proverbio, ratione illi abuti videntur, quicunque differentes, de sensu & acceptione alicujus vocis certi, nihilominus in logomachias & altercationes tales declinant, quibus nihil omnibus bonis est magis odiosum.

Verum cum non ita pridem in publica disputatione, hujusdem disceptationis facta fuerit mentio ; sed parum ad mentem optimè meriti Antecessoris, D. D. Meieri, b. m. pietati nostræ, qua veneramur merita tanti J. C. t. conveniens duxi, rationes & argumenta, quæ ille, cum Cujacio, pro Græcorum Interpp. peculij divisione induxit, explicatius pro virili proponere, & hæctenus asserere, ita tamen, ut per me liceat cuilibet cum multis loqui, & vulgari terminorum horum sive divisionis usurpatione uti ; ne tamen improbet Juris Antecessori, si cum paucis interim sentiat :

B

maxi-



maximè, si sollicita terminorum artis Juris præfinitione, subinde-  
 que annexa determinatione, se atque auditorum suorum intel-  
 lectum probè communiat: Etenim sæpe necessum est, ut, ubi  
 2 vulgaris quædam termini cujuscumque usurpatio perniciosam aber-  
 rationem, diversissimarumque rerum confusionem, saltem ho-  
 monymiam, errorum genitricem, fovet, eidem convenientior alia,  
 h. e. magis accurata distinctio, tutiorque substituatur: cum in hoc  
 quoque officium Antecessoris constet, hujusmodi malis, omni  
 studio modoque contravenire.

3 Quod, quicumque de Peculij Pagani & castrensis appellatio-  
 ne, & divisione, quæ Græcis probata, dixerit, eum nihil à veritate  
 alienum dicturum omninò arbitror: quippe quæ, quod nemo ne-  
 gare potest, non solùm vulgata ista apertior, magisque solida & ner-  
 vosa, expedita etiam magisque tuta est, neque ab ullius verè eruditi &  
 jurisperiti mente aliena; sed & eadem per antiqua & ipsa verè  
 Justinianeæ est: sufficiat itaque, si demonstratum fuerit, usum di-  
 visionis & terminorum divisorum menti Imperatoris & compi-  
 latoribus Juris usui probato, magis respondere: quamvis, quod  
 dixi, per me cuique solutum, ad morem vulgarem terminis hisce

4 abuti: sed ad rem. *Peculium* quid sit & dicatur: & quomodo dif-  
 ferat à patrimonio, docui in *Hodegeta. pag. 285. & seqq.* cumque  
 aliud sit servorum, aliud filiorumfam. illud verò semper uniforme:  
 hujus autem diversa sit causa, ideò nulla hìc illius consideratio;  
 sed tantùm hujus, ceu quod ex illa diversitate, ab Interpp. in  
 plures species sive membra dividitur: verum aliter à *Latinis*, aliter

5 à *Græcis*. Etenim *Latini* peculium dividunt in *Paganum*, *Castrense* & *quasi*  
*Castrense*: *Paganum* rursus subdividunt in *profecitium* & *adventitium*:  
 (quas quidem membrorum appellationes non à Jure accommo-  
 datas habent; sed Interpp. à dote, quæ in profecitiam & adven-  
 titiam Jure dividitur, *l. 5. pr. & § 9. 11. ff. de Jure dot. l. 1. §. 1. C. de R. U. A.*  
*l. 4. C. de collat. Ulpian. in fragm. T. 6. §. 3. 5. 6.* mutuarunt; peculium  
 enim nullibi in Jure nostro hisce terminis formalibus divisum le-  
 gitur.)

6 *Græci* contra dividunt *πεκέλιον* in *παγαμικόν* & *ιδιόκτατον*: &  
*παγαμικόν* dicunt, quod à patre, sive ex causis & rebus patris ad  
 filiumf. venit, ita ut is id tantùm administraret, eoque hætenus  
 uteretur. *l. 7. ff. de donat. cætera enim, ut dicit Imp. & Theoph. in §. 1.*  
*J. per quas person. cuique adq. ὅλον προσηείζεας πρὸ πατέρι.* ubi etiam  
 ratio.

ιδιόκτα-



Ἰδιόκτατον verò, (generali nomine; errant enim qui cum vulgo Interpp. præcisè vertunt, κατ'ἑρμηνείαν πενήμιον: cum ἰδιόκτατον latius illo patere res ipsa loquatur & ostendat) appellant, quod à filiofam. vel militia, vel dignitate, vel artificio, vel liberalitate aut ultima alterius voluntate quæsitum, & ἰδικῶς, h. e. jure proprietatis sive Domini ad filiumf. pertinet. d. §. 1. *J. per quas person. cuiq. adq.* subdividunt idem in ἰδιόκτατον in specie sic dictum, quod filiusf. habet pleno proprietatis jure, ut sunt castrense, & q. castrense peculia: & ἀπροσπόρισον, quod ita filio est proprium, ut tamen pater in illis habeat usumfructum: (quãvis ἀπροσπόρισον verbum, à Græcis etiã diversimodè usurpetur, ita ut in oppositione ad παγανικόν, comprehendat pariter omne peculium, quod vel ex militia, vel scientia vel Testamento filiof. est acquisitum. vid. *Eclog. Bas. libr. 35. T. 3. c. 11. in scholio.*) Ita ut summa peculii divisio sit in παγανικόν & ἰδιόκτατον: quod posterius, si rursus dividatur in ἀπροσπόρισον, in specie sic dictum, h. e. quod venit ex hereditate, & parentibus usufructu tenus tantum acquiritur; & in Castrense quod venit ex militia, ac quasi Castrense peculium, quod venit ex scientia, habebimus has quatuor peculij species, nempe Paganicum, 2. ἀπροσπόρισον sive patri non acquisitum, quod vulgo adventitium vocant, 3. Castrense & 4. quasi Castrense. *confer Glossar. vetus Græc. in lit. π. voc. πενήμιον, Harmenopol. lib. 5. περὶ χειρῶν. T. 2. v. 2. 14. & seqq. similia habentur apud Carol. Labbæum in obs. & emend. synops. Basilic. ad lib. 57. p. 182. & ap. Theophil. all. §. 1. J. quib. non est perm. fac. Testam. Item, in d. Synops. Basil. libr. 35. T. 3. c. 11. & libr. 35. T. 1. & d. libr. 35. c. 57. & in Eclog. legum Leon. & Constantini Imp. Tit. 17. §. 10. addatur Brisson. in Lexico Juris. v. peculium. vers. vetusta porro glossaria.* Hæc Græcorum peculij divisio, an Latinorum, utrum magis cum Jure Justiniano conveniat? problema factum, quod nondum inter Dd. Interpretes expeditum est. Etenim qui cum Cujacio & D. D. Meiero nostro, Græcorum traditionem propugnant, notant 1. Latinorum peculij divisionem in hoc peccare, quod species peculij pagani faciat profectitium & adventitium; cum tamen hoc non sit peculij pagani propria divisio, sed potius communis omni peculio: siquidem peculium in genere consideratum, sic distingui oporteat & dici: Omne peculium est vel profectitium vel adventitium: quia & Castrensi peculio subdivisio hæc competit, rectèque sic dividitur, nempe, quod Castrense peculium sit vel profectitium vel ad-



ventitium, uti patescit ex *l. 1. l. 4. C. de Castr. pecul. mil. 12. l. 12. 13. 15. §. 3. ff. eod.* Quibus legibus manifestò ostenditur, castrense quoddam peculium esse, quod à patre proficiscitur. Peccat igitur Latinorum divisio vulgata, quæ paganum dividit in peculium profectitium & adventitium: tantoque magis, quod profectitium sit solius pagani peculij qualitas & epitheton perpetuum: adventitium verò magis referendum ad speciem quandam peculij quasi Castrensis, per *l. ult. pr. C. de in off. Testam.* ubi dicitur: peculij triplex est causa, vel enim paganum est, vel Castrense, vel quod medietatem quandam inter utrumque obtinet, quod quasi castrense nuncupatur. Et hæc quidem triplex causa est ex subdivisione castrensis peculij, ita ut hoc in loco *d. l. ult.* subdivisio, tribuatur tanquam propria soli castrensi peculio: aliàs quadruplex futurum esset divisio peculij, si paganum quoque pateretur subdivisionem in profectitium & adventitium: Rectè igitur sic argumentamur: Quod peculium jure nostro non subdividitur, id neque nos subdividamus. Peculium paganum Jure civili non subdividitur. E. neque nos subdividamus.

10 Quo posito, ulterius progredi & sic argumentari licebit: Quodcumq; peculium medietatem quandam obtinet inter paganum & castrense peculium, illud est quasi castrense: quæ propositio est ipsius Imp. Justiniani, in *d. l. ult. C. de in off. Testam.* Atqui peculium adventitium obtinet medietatem quandam inter peculium castrense & paganum. E. peculium adventitium est peculium quasi castrense.

Minor probatur ex proprietate Juris, quæ est in castrensi & pagano peculio. Nam in pagano peculio id proprium est. 1. quod peculium paganum sit patris: & quod pater id filio possit adimere. *S. 1. F. per quas person. cuique adquir. & pr. F. quib. non est permiss. fac. Testam. ubi Theophil. Harmenopul. lib. V. προχέισθ. T. 3. v. 6. & seqq. l. 4. princ. l. 5. in fin. cum l. 5. §. 5. ff. de pecul.* 2. cogitur id, mortuo patre, conferre cum fratribus suis, neque quicquam in eo præcipuum habet filiusfam. peculiatu. *d. princ. F. quib. non est permiss. fac. Testam. l. 12. C. de collat. l. 13. C. fam. erisc.* 3. creditores patris id occupant tanquam rem ipsius propriam. *d. princ. F. quib. non est permiss. fac. Testam.* excepto solo eo, quod filiusfam. ex constitutione Claudij, retineat peculium paganum profectitium, quando  
fiscus



fiscus bona patris occupat, obdebitum fiscale. *l. 3. §. 4. in fin. ff. de minorib.* 4. filiusfam. non potest habere in peculio pagano heredem, cum id non sit ipsius proprium. 5. filiusfam. de pagano peculio non potest testari. *princ. ff. quib. non est permiff. fac. Testam.* Videamus nunc jura castrensis peculij, ut inde collatio institui & utri peculio propius accedat adventitium: peculium discerni possit: habet autem castrense peculium hæc peculiaria sive propria, nempe, 1. quod sit filiusfam. proprium: quodque pater id filiofam. adimere nequeat. *princ. ff. quib. non est permiff. fac. Testam. l. 15. §. 4. ff. de castrens. pecul. l. 2. ff. de SC. Macedon. l. 3. §. 10. ff. de Minor. 2. creditores patris peculium castrense neque occupare neque vendere, vel aliter inquietare possunt. d. princ. ff. quib. non est permiff. fac. Testam.* 3. patre mortuo non cogitur id conferre cum fratribus. *d. princ. ff. quib. non est permiff. l. 4. C. fam. ercisc. l. 3. in fin. C. de castrens. pecul. l. 52. §. 8. ff. pro socio, l. 1. §. 15. ff. de collat. l. 12. l. ult. Cod. eod. l. 54. ff. ad SC. Trebellian.* 4. filiusfam. potest habere heredem in castrensi peculio. *d. princ. ff. quib. non est permiff. l. 1. l. 2. & passim. ff. de castrens. pecul.* 5. filiusfam. potest testari de castrensi peculio. *d. princ. & princ. v. etsi filiusfam. & §. ult. ff. de milit. Testam. l. 34. princ. de hered. pet. l. 3. §. 5. ff. de bon. possess.* Unde peculium illud per constitutiones effecta habetur hereditas. *l. 2. §. 2. ff. fam. ercisc.*

14

Jam si cum duorum horum peculiorum qualitatibus conferamus bona adventitia, deprehendemus, quod propius absint à natura Castrensis peculij. Nam in peculio adventitio proprietas semper est filiusfam. nonnunquam etiam plenariè, h. e. etiam cum usufructu: ita ut pater id filiofam. adimere aut alienare non possit: patris creditores illud inquietare nequeant: sed illud præcipuum habeat is, cui acquisitum est: nec cogatur conferre cum fratribus: habeat quoque in eo peculio heredem: denique de quibusdam testari possint: quæ omnia & singula manifestò traduntur *in tit. & imprimis l. ult. §. ult. C. de bon. que lib. & tit. C. de bon. matern. Nov. 118. c. 1. 2. Nov. 127. c. 1.* imprimis quod ad hereditatis jus spectat, probatur illud ex *l. 23. C. de bon. que lib.*

12

Differt autem peculium adventitium à Castrensi peculio, 1. quod non adquiratur per veram militiam: qua ratione etiam quasi Castrense peculium à Castrensi differt. 2. quod in adventitio peculio nonnunquam patri usufructus adquiratur. 3. quodque de peculio adventitio filiusfam. non semper possit testari.

13



Quibus ita inter sese collatis, evidenter apparet, quod in plerisque, quæ formam juris respiciunt, & jus castrensis peculij constituant, peculium adventitium magis conveniat cum peculio Castrensi: & proinde rectè dicatur, illud obtinere medietatem inter paganum & castrense peculium, rectèque tandem concludatur, quod sit species quædam quasi castrensis peculij, in quibus bonis filiusfam. comparatur filiofam. militi. Unde sic ratiocinamur: In quibus bonis filiusfam. comparatur filiofam. militi, ea bona habent similitudinem cum castrensibus singularem: ita ut ob eam filiusfam. comparetur filiofam. militi. Atqui in bonis adventitiis filiusfam. comparatur filiofam. militi. *l. 50. ff. ad SC. Trebell.* E. bona ea habent similitudinem singularem cum castrensibus, ut ob eam filiusfam. comparetur filiofam. militi.

14

Insuper, 2. Quæ bona comparantur castrensi peculio singulariter, ea imitantur peculium castrense, & proinde dici possunt quasi castrensia. Supervenit enim quasi castrense peculium ad imitationem castrensis peculij, & ad instar castrensis peculij introductum est. *l. ult. §. 1. C. de inoffic. Testam. l. 6. in fin. princ. Cod. de bon. quæ liber.* At bona adventitia comparantur castrensi peculio. *l. ult. Cod. de collat.* E. imitantur castrense peculium, & per consequens sunt quoddam peculium quasi castrense.

15

Porro 3. bona adventitia sunt bona, quæ patri non sunt quæsitæ & continentur communi quodam genere cum peculio castrensi & quasi castrensi. *princ. §. quib. non est pereniss. fac. Testam. l. 6. in fin. princ. & §. 3. C. de bon. quæ liber.*

Atqui bona patri non quæsitæ, nullatenus peculio pagano possunt subijci: aliàs enim & peculium quoque castrense & quasi castrense continerentur sub pagano, quod tamen absurdum. E. bona illa adventitia non sunt species peculij pagani, sed species peculij patri non quæsitæ, quod est genus commune, tam adventitij, quàm castrensis & quasi castrensis peculij, in specie sic dicti.

16

4. Species adventitiorum ejus modi bonorum expressè sub quasi castrensi peculio continentur, ut in *l. 7. C. de bon. quæ liber. l. 34. l. 50. C. de Episc. & Cler. Novell. 123. c. 19.* oportet igitur in genere bona adventitia non contineri sub pagano, ne species generis sui, sub alio sit genere, non generis sui: quod esset absurdum.

Con-



Constituto itaque hoc, quod peculium adventitium referatur ad speciem quasi castrensis peculij quandam, quod filiusfam. habeat, hæc divisio constitui potest, ut 1. peculium dividatur in paganum, & castrense. 2. Castrense subdividatur in castrense in specie, quod ex militiae armatae causa acquiritur, & in quasi castrense in genere. 3. Denique quasi castrense rursus subdividatur, in q. castrense in specie, quod ex causa militiae togatae acquiritur: & in quasi castrense adventitium, quod extra causam togatae militiae acquiritur: hoc denique 4. iterum subdividatur, in adventitium plenum, in quo pater nullum jus habet, filiusfam. autem omne jus habet: & in adventitium minus plenum sive nudum, in quo pater habet usumfructum; filiusfam. verò nudam proprietatem: quæ divisio & Græcorum traditionibus magis convenit, & argumentis satis necessariis confirmatur.

17

Quod enim objicitur. 1. bona ista adventitia non esse peculium, & propterea nec in divisione peculij ponenda: id neutiquam ferit: licet enim verum sit, quod peculium & bona sibi invicem opponantur. *l. 182. ff. de v. s. l. 13. princ. cum l. 1. §. 1. princ. ibi. si cuius quid de bonis. ff. ex quib. caus. major.* atque exinde, cum alterum oppositorum, alterum esse nequeat, necessum esse videatur, ut dicatur, nulla bona esse peculium, hocque præsupposito & assumpto eo, quod bona ista adventitia sint bona. *rubr. & it. C. de bon. qua. lib.* sequi, quod bona illa non sint species peculij. Attamen, cum ipsum argumentum ostendat, quod in eo mutetur genus prædicationis: quilibet inde argumenti infirmitatem facile animadvertit. Loquitur enim illa propositio: Nulla bona sunt peculium: tantum de peculio servi & filijfam. pagano: ubi rectè dicitur: nullum peculium ratione peculij, esse bonorum speciem. In peculio autem castrensi & quasi castrensi falsa est ista propositio: Nam & castrense peculium est species bonorum: quomodo etiam eidem bonorum nomen tribuitur in *l. 2. l. 10. l. 19. §. 2. ff. de castrens. pecul.*

18

Atque hinc Edictum, quo majores restituuntur, etsi non pertineat ad servos, eam ob causam, quod de bonis loquatur. *d. l. 13. princ. ff. ex quib. caus. major.* pertinet tamen ob eandem causam ad filiumfam. in castrensi vel q. castrensi peculio. *d. l. 13. §. 1.* Quod si simpliciter nullum peculium esset species bonorum,

19

norum,



norum, tùm Edictum illud ad filiumfam. castrense peculium  
 habentem, non pertineret: Sic SCrum Trebellianum quod pa-  
 riter de bonis loquitur. *l. 1. §. 2. ff. ad SC. Trebell.* locum quoque  
 habet in castrensi peculio filiofam. testati. *d. l. 1. §. 6.* Sic Edictum  
 de collatione bonorum, vult bona conferri. *l. 1. in fin. pr. ff. de collat.*  
 ab eo verò peculium castrense excipitur. *d. l. 1. §. 15. l. 54. vers. cum*  
*enim de conferendis. ff. eod. ad SC. Trebell.* Non opus verò esset exceptio-  
 ne, si peculium illud non esset species bonorum: Neque enim  
 quod toto genere distat, à genere excipiendum est: vulgatum-  
 que est, Exceptionem firmare regulam: & privationem præsup-  
 ponere habitum: ex quibus omnibus constat, majorem propo-  
 sitionem esse particularem, & proinde nihil eâ concludi. Dixe-  
 rit quis: Si majori propositioni sua adjiciatur determinatio, ex-  
 cepto scil. castrensi, vel q. castrensi peculio: illam tunc posse  
 nihilominus universaliter concipi, hoc modo:

Nullum peculium, excepto castrensi & q. castrensi est spe-  
 cies bonorum. Atqui quod adventitium dicitur, id, quamvis  
 sit extra causam castrensis & q. castrensis peculij, tamen est spe-  
 cies bonorum. E. non est peculium. Verùm *Respond.* committi  
 petitionem principij tàm in majore, quàm in minore propo-  
 sitione. Nam hoc ipsum probari debet, quod solum castrense  
 peculium & q. castrense peculium in specie, sint species bono-  
 rum: & quod cætera bona propria filiofam. non possint esse spe-  
 cies peculij & simul bonorum. Deinde in minore propositione su-  
 mitur id pro certo, quod maximè est controversum, sc. Nulla bona  
 adventitia esse speciem quandam quasi castrensis peculij: contra-  
 rium enim, licet jam antea in argumentis affirmantibus satis pro-  
 batum sit: tamen in super etiam apparet ex *l. 7. C. de bon. quæ lib.* quæ  
 docet, quod & bona adventitia sint species peculij quasi castrensis:  
 est enim ibi species adventitorum bonorum, quæ tamen quasi  
 castrense peculium dicitur: Quod autem de specie dicitur, idem  
 prædicari quoque oportet de genere. Atqui de specie adventi-  
 tiorum bonorum dicitur, quod sit q. castrense peculium. E.  
 idem quoque de genere dicitur, quod scil. bona adventitia sint  
 q. castrense peculium. *Opponitur* in super 2. definitio peculij, quæ  
 habetur in *l. 5. §. ult. l. 6. junct. l. 4. pr. ff. de peculio.* ubi dicitur: *Pecu-*  
*lium est, quod Dominus servo, vel Pater filiofam. separatum à rationibus suis*  
*constituit.* At bona illa adventitia non constituit à rationibus suis  
 separatum. E. non sunt peculium. Verùm



Verùm *Respondetur*, definitionem hanc peculij pertinere tantum ad peculium paganum, unde datur actio de peculio: aliàs enim nec castrense, nec q. castrense peculium esset peculium: quia & hoc quoque lex constituit, non pater: & lex, non pater illud à rationibus paternis separat.

Sed & illud hic observandum, peculium esse genus analogum, quod uni speciei propriè & primariò competit: cæteris verò secundariò, & ob similitudinem quandam cum præcipua specie. Sunt itaq; illa bona peculium ideo, quia sunt bona ejus, qui est in potestate, separata à rationibus paternis: quamvis in cæteris non conveniant cum vero peculio. Ne autem dubitemus, illa bona esse peculium, facit *princ. f. quib. non est permiss. fac. Testam. v. quanquam.* ubi bona, quæ parentibus non adquiruntur, ab illo jure peculij pagani excipiuntur, tum dicitur, quod Jure civili omnium, qui in potestate parentum sunt peculia, perinde computentur in bonis parentum, ac servorum peculia in bonis dominorum. Si igitur illa adventitia bona excipiuntur à Jure aliorum peculiorum paganorum, seu, non castrensi, necesse est, ut sint peculia: aliàs exceptio esset supervacua & frivola. Unde rectè Harmenopulus *libr. 5. T. 3. v. 1.* dicit: *Peculium spectari in iis, qui sunt in aliena potestate constituti*: rectè etiam Græci ἀποσπορίσιν & quæ parentibus non adquiruntur, in censum peculiorum referunt.

Urgent. 3. Bona illa adventitia non esse referenda ad peculium q. castrense, quia omnia quasi castrensia bona dicuntur, quæ q. in castris s. militia togata adquiruntur. At adventitia illa bona non dicuntur in militia togata & q. in castris acquisita. E. non sunt q. castrensia.

Sed *Respond.* negando propositionem majorem, per §. alleg. *l. 7. C. de bon. quæ lib. l. 50. Cod. de Episc. & Cler. junct. Nov. 123. c. 19.* ubi bona adventitia dicuntur quasi castrense peculium, quamvis nulla ibi possit excogitari militia togata, cum in *d. l. 7.* agatur de donatione, quæ fit non modo à Principe, sed & ab Augusta: in fœmina verò castra & militiam togatam cogitare planè absolum: & licet Clerici DEO militent, atque hæcenus ab illis acquisita peculium q. castrense dici possent: attamen Imp. & ea bona inter q. castrensia haberi vult, quæ non tantum occasione clericatus muneris, clericis adquiruntur, sed & quæ cunq; bona,

C

quæ





quæ quolibet modo ad dominium eorum pervenere : quamvis, si militiam allegoricam adsumamus, nullum sit vitæ genus, quod non sit militia quædam : Nam militat omnis homo. Hiob. 7. v. 1. & 14. vers. 4. Senec. Epist. 96. & 37. Casp. Barth. in Claudian. 1. ad Eutrop. n. 61. Deinde, definitiones rerum non sumuntur ex causis externis, quæ rei naturam & substantiam non ingrediuntur, qualis est causa, in castris esse : Castra enim tantum modo, sunt occasio quædam, & ita tantum causa adjuvans, & sine qua res non fit : ipsam autem efficere non potest, sed est particula seu appendicula causæ efficientis, quæ definitionem & substantiam rei non ingreditur. Itaque licet nominis appellatio ex ejusmodi causa sumi possit ; rei tamen ipsius substantia ex ejusmodi causa non constituitur. Et quidem in jure substantia & forma unius cujusque rei est jus ipsum rei, quod hac quidem in quæstione supra est explicatum : Cum itaque in causa formali bona ista adventitia cum castrensibus conveniant quàm maximè & proximè, utiq; etiam q. castrensia appellari possunt & debent à forma sua.

24. Dixeris, 4. quod nuspian in Jure quasi castrensia nuncupentur. Respond. verum quidem hoc esse; sed exinde non sequi, quod non sint peculium quoddam quasi castrense: aliàs ne quidem peculia essent, cum neque peculium ullibi nominentur in Jure. Neque hic tam de nomine, an ita dicantur? quæstio est, quàm de re ipsa, an sint talia, atque ita dici possint & mereantur: prius negamus; posterius autem affirmamus. Instant: Peculia adventitia quasi castrensibus opponi. princ. J. quib. non est permiss. fac. Testam. l. 6. in fin. princ. & §. 3. C. de bon. quæ lib. l. 7. C. qui bon. ced. poss. Nov. 22. cap. 34. Respond. fallere argumentum simpliciter; Etenim oppositio, si qua est in d. l. 6. Nov. 22. magis est nominis, quam rei: Quia enim ea bona, quæ in specie dicuntur q. castrensia, id nomen jam antea præoccupaverant, & ratione causæ efficientis majorem similitudinem cum bonis castrensibus habebant, factum est inde, ut bona hæc adventitia, quamvis ratione formæ essent in censu q. castrensi, tamen idem nomen non sint sortita: Est autem nomen tantum rei alicujus accidens, non etiam de substantia & forma.

26. Opponitur 6. princ. J. quib. non est permiss. fac. Testam. vers. exceptis videlicet. Ubi bona, quæ parentibus non adquiruntur, subjiciuntur.



jiciuntur pagano peculio: siquidem aliàs à pagano non fuissent  
 excipienda *Respond.* id ibi fieri ratione causæ efficientis, ut vide-  
 licet pagano subjiciantur, & deinde ab eodem excipiantur ea  
 bona omnia, quæ parentibus non adquiruntur, quod scil. ea non  
 adquirantur in vera militia: qua ratione etiam q. castrensis in d.  
 princ. pagano peculio subjicere oportet. Agitur enim ibidem  
 primò & principaliter de peculio castrensi verorum militum: &  
 post modum eidem opponitur peculium jure civili quæsitum:  
 jam verò jus civile in hac parte materiæ Testamentariæ oppo-  
 nitur juri militari. *l. 17. §. ult. ff. de Testam. mil.* Quia Jus civile hic est  
 commune reliquorum civium. Quod igitur Jure militari non  
 continetur, id ea ratione paganum est. Atqui peculium q. ca-  
 strense hac in parte jure militari non continetur. E. erit paganum.  
 Excipitur autem illud paganum peculium (ea scil. ratione tale) 27  
 ab ipso peculio pagano vulgari, ratione suæ formæ: & quatenus  
 excipitur à pagano, eatenus constituit novam speciem quasi ca-  
 strensis peculij: quia ratione causæ extrinsecæ differt à peculio  
 castrensi, & convenit cum peculio pagano: ratione verò causæ  
 internæ & ipsius formæ, convenit cum peculio castrensi. Hinc  
 statim in illo princ. subjicitur: *ibi:* præter hos igitur, qui castrense  
 vel q. castrense peculium habent, &c. ubi si quærat, qui nam in-  
 telligantur per illa verba, præter hos? respiciamus necesse est ad  
 proximè antecedentia, ubi reperiemus milites, qui habent ca-  
 strense peculium: qui verò habent castrense peculium nulli re-  
 periuntur in d. princ. nisi notentur verbis proximè antecedenti-  
 bus, *ibi: exceptis videlicet iis, qui ex sacris, &c.* Si igitur, qui habent  
 q. castrense peculium, sunt illi ipsi, qui habent bona, quæ paren-  
 tibus in quorum sunt potestate, non adquiruntur; quod etiam  
 Theophilus innuit ibidem.

*Replicet quis:* verba illa: *præter hos igitur:* referenda esse ad 28  
*§. ult. T. anteced. de milit. Testam. & princ. J. quib. non est permiss.* Respond.  
 non negatur, posse hoc aliquo modo fieri: verum si textus pe-  
 nitius inspiciantur, minùs commodè: quia sic nimis remota fo-  
 ret illius versiculi tractatio: Deinde relatio illa jam ante in loco  
 viciniore erat explicata in d. princ. *ibi: exceptis iis, quos antea enume-*  
*ravimus.* Et denique quia illis ipsis verbis, nisi excipiatur q. ca-  
 strense peculium, in specie sit dictum, in d. princ. tum peculium  
 q. castrense esset referendum ad peculium paganum, quod cum



fit absurdum, satius est dicere, iis verbis contineri omne peculium, quod est nec paganum, nec propriè castrense, ita ut in vers. præter hos. illud quoque membrum repetatur.

Q U A E S T I O VI.

*An, & quo casu in vindicationibus etiam rerum corporalium, detur possessori actio, per quam neget rem adversarij esse?*

Ad C. I. A. 41. ff. 2. th. 22. n. 7.

- 1 **I**N Disputatione, de cumulatione possessorij & petitorij, pro summis in utroque jure honoribus Doctoralibus consequendis, olim habita, memini, quod in hunc quoque nodum inciderim, vestigiaque miseræ in eodem resolvendo diligentia Interpretum, casum istum unicum, ab Imp. in §. aequè si agat. 2. §. de Action. designatum, per tot secula tam anxie inquirentium, nec tamen inventientium, catalogo satis prolixo variarum lectionum, interpretationum & conjecturarum prolato, ostenderim; accuratorem verò earundem discussionem in aliud tempus, ad id præstandum commodius, distulerim. Præstare etiam id postea conatus in *Rationali Justiniano*, ad d. §. aequè 2. §. de Action. Verùm exigente sic instituti tunc mei ratione, substiti tantùm circa rationem juris inquirendam & assignandam: cur nempe in vindicationibus servitutum & jurium aliorum duæ sint proditæ actiones, confessoria & negatoria; non autem æquè in vindicationibus rerum corporalium? Nunc itaque, arreptâ, per C. I. A. d. l. in quo D. D. Mejerus b. m. hanc quoque difficultatem, quamvis summo tantùm, quod ajunt, digito tetigit, oblata occasione, constitui non nihil plenius & accuratius de hoc themate agere: quod si & hic meus labor frustra fuerit, neminem, spero, conatum meum mihi vitio versurum, qui meminerit, aliis me doctioribus idem contigisse. De servitutibus duas Jure proditas esse in rem actiones, *confessoriam* alteram, qua quis asserit servitutem sibi in fundo alterius competere: alteram *negatoriam*, qua alter contendit,
- 2



rendit, jus servitutis in fundo suo adversario non esse, patet ex  
*d. §. 2. f. de Action.* Illa quidem similis est Rei vindicationi, maximè  
 in hoc, quod quemadmodum in Rei vindicatione actor domi-  
 nium suum persequitur: Ita Confessoria agens jus suum asserit  
 & vindicat. Negatoria verò nulla similis est vindicatio rei cor-  
 poralis, per quam actor neget rem adversarij esse: cujus ratio  
 est, quod Rei vindicatio tantum detur Domino adversus posses-  
 sorem: nulla autem actio possessori, per quam neget rem adver-  
 sarij esse: nisi si quis contrariam instituere velit vindicationem,  
 & dicere: *rem suam esse, & se ejusdem dominum, §. 1. in fin. f. de Action.*  
 In vindicationibus autem servitutum non tantum is, qui non  
 possidet; verum etiam qui possidet Actoris partes obtinere po-  
 test. *§. 2. v. sane* quod patet ex *l. 6. §. 1. l. 8. §. 3. ff. si servit. vindic. l. 5. §. ult.*  
*ff. si usu fruct. petat.* ponamus exemplum: si cum ego altius ædifi-  
 catum non haberem, atque ita adversarius meus possideret li-  
 bertatem, ne altius ædificando luminibus vel prospectui ipsius  
 officerem, me ædificantem, vel ædificare parantem, actione ne-  
 gatoria contra me instituta, prohibere potest, ne ulterius ædi-  
 ficem: neque enim antea possideo, quam ædificium absolvero.  
*d. l. 6. §. 1.* Quia autem Negatoria actio in negatione consistit,  
 quæ per rerum naturam probari non potest, quatenus scilicet est  
 negatio. *l. 23. C. de probat. l. 10. C. de non num. pecun.* sed per accidens  
 tantum, quatenus varia rerum circumstantia probationem ali-  
 quam afferunt. *fac. §. item. 11. f. de Inutil stipul.* fit exinde, ut posses-  
 sor, quamvis Reus sit, nihilominus Actoris partes obtineat, h. e.  
 onus probandi subire cogatur: ne alioquin inutilis & frustranea  
 sit actio negatoria. Etenim qui agit negatoria, quamvis ver-  
 bis affirmantibus dicat: *prædium suum liberum esse*; tamen liberta-  
 tem illam probare non potest, nisi per negationem, veluti, quia  
 tibi in eo servitus neque vendita, neque donata neque legata,  
 aut alio iusto modo concessa est: quomodo autem probabit  
 actor servitutum adversario suo neque venditam, neque dona-  
 tam, neque legatam, neque alio modo concessam esse & acqui-  
 sitam. Itaque ne ei, qui à natura fundum habet liberum, fru-  
 stratoria sit actio negatoria, constituendum omninò est, posses-  
 sorem etiam tum, cum negatoria convenitur, Actoris partis ob-  
 tinere, quod, ut omninò singulare, Imperator, per particulam,  
*sane*, adjicere voluisse videtur. Et quamvis tum, cum servitus

C 3

ante



ante constituta, sublata est, is, qui negatoria agit, possit docere libertatem, quod scil. pacto sibi remissa sit servitus: vel quia libertas usucapta est, vel quia servitus non utendo amissa est, & propterea non tantum agat, sed etiam Actoris partes sustineat: attamen ad defendendam naturalem prædij libertatem omninò opus est hac doctrina, ut etiam Reus, quamvis possessor, si adversus ipsum agatur, cogatur Actoris partes obtinere. Quæ certè sententia ipsi æquitati videtur maximè consentanea, & hac tantum laborare difficultate, quod ubi casus ille in latioribus Digestorum libris tradatur, nondum certò comparuerit, præterquam quod Cont. 1. lect. 1. Duaren. ad l. 15. ff. de N. O. N. c. 15. & alij putent, haberi illum in d. l. 15. in fin. ff. de N. O. N. ubi non defendens rem in vindicatione servitutum vel libertatum, ita punitur, ut petitoris partes sustinere cogatur, & quidem, si is, qui debet servitutum altius non tollendi, rem non defendat, tum ita punitur, ut non possit ante ædificare, nisi ipse ultro egerit, h. e. nisi prior egerit actione negatoria, jus sibi esse altius tollendi, h. e. se non debere servitutum altius non tollendi: & ita simul in negatoria actione & actor est, & Actoris partes sustinet, idque pœnæ nomine. Et similiter in contrario casu, si is, qui debet servitutum altius tollendi, h. e. quod invito adversario possit altius tollere, & contra quem agitur confessoria, qua actor intendit, jus sibi esse invito adversario altius tollere. Si is, inquam, qui servitutum debet, & contra quem agitur confessoria, rem non defendat, tunc ita punitur, ut cogatur cavere, se nec opus nunciaturum, neque ædificanti vim facturum, priusquam actione negatoria, de Jure suo probaret, & ita Actoris partes sustineret. Si quoque is, qui non defendit rem in his actionibus, ita punitur, ut in negatoria actione cogatur de Jure suo docere, necesse est, extra hunc casum, eum, qui negatoria actione agit, non cogi docere de jure suo: ut ita regulare sit in actione negatoria, actorem non cogi probare, sed Reum, quamvis possessor sit, nihilominus cogi Actoris partes sustinere, nisi pœnæ nomine id imponatur agenti negatoria, atque ita d. §. 2. vers. ult. J. de Action. intelligatur de Actionibus in rem, servitutum vindicandarum gratia introductarum, & non dicat, interdum etiam possessorem Actorem esse: id enim jam ante satis dictum erat.

Propterea



Propterea etiam nequiquam necessariò addenda est, negatio, ad *d. §. 2. v. ult. cum Æmil. Ferret. in not. ad d. §. 2. Hunn. ad d. §. 2. & ad Treutl. 1. disp. 17. th. 12. quæst. 34. Govean. 1. V. L. 41. Ant. Faber. 20. conject. 13. Donell. Wesemb. ad d. §. 2.* Siquidem neque libri scripti, neque Theophilus negativam habent. Qui Theophilus ita loquitur, ut videatur, illum versiculum retulisse ad actiones de rebus corporalibus, quasi & tum, qui possidet, possit aliquando τὸν ἀλλοτρίου ἐπιχειρῆσαι, ordinem seu partes Actoris sustinere, h. e. instituere Rei vindicationem, quod contingere potest, quando is, qui vindicare cepit, possessioni suæ non renunciavit, *l. 12. §. 1. ff. de a. possess. ubi pendente etiam vindicatione, actor interdicto uti possidetis uti potest d. l. 12. §. 1. l. 18. §. 1. ff. de vi & vi armat.* quod cum detur possessori ad possessionem suam tuendam. *ii. ff. uti possidet.* apparet, eum etiam qui possidet, rem vindicare posse: ita ut *d. §. equè. 2. J. de action.* ita accipi possit: *quamquam in rebus corporalibus non detur actio, qua quis neget rem alterius; tamen casum esse, ubi possessor etiam partibus Actoris fungatur, sive actor sit:* Sanè, quod attinet phrasin illam: *actoris partes obtinere,* similis ea est illi, qua *Jctu; Africanus* utitur in *d. l. 15. in fin. ff. N. O. N.* ibi: *petitoris partes sustinere.* & nihil aliud significat, quam de Jure suo priorem docere. *d. l. 15. §. 1.* idque non conventionem aliqua particulari, ut in *l. 14. vers. si quis autem. ff. de probat. l. 9. Cod. de Exceptione* neque etiam, ut fieri in exceptionibus solet, post actoris intentionem probatam, *d. l. 9. l. 19. ff. de probat.* quod tradunt post *P. de bella pertica. Joh. Faber. ad d. §. 2. Vultei. 1. disceptat. Scholast. 5.* sed ipso Jure communi: & quidem in actione non duplici, sed simplici, de cujusmodi actionibus in *d. §.* agitur, ne quis duplices actiones objiciat, quarum ea natura est, ut uterque sit Actor & Reus. *l. 10. ff. fin. regund. l. 2. §. 3. l. 44. §. 4. ff. fam. ercisc. l. 2. §. 1. ff. comm. divid. l. 13. ff. de Judic. l. 37. §. 1. ff. de Obl. & Action. quæ Accurs.* ad *d. §. 2.* & post eum, *Jafon. eod.* conjectura est, sed falsa, quia actorem partibus actoris fungi, non est mirum: & rursus in actione ordinaria, de qua hic agimus; ne quis objiciat interdicta duplicia. *l. 1. §. 6. ff. uti possid.* quam conjecturam tradunt *Mynsing. Hortens. ad d. §. 2. Gothofred. ad l. 1. §. 6. ff. uti possid. in not. lit. h. Coras. 3. miscell. 23. n. 6.* quomodo etiam phrasin hæc accipitur in *l. 7. §. ult. ff. de lib: causa. l. 14. l. 18. princ. l. 19. ff. de probat.* quamvis ex *d. l. 18. princ. & l. 19.* appareat, eum quoque partibus actoris fungi:



fungi, qui actor non est: & in *d. l. 18. princ.* illa ratio dubitandi est, quod possessor non debeat docere de Jure suo, nisi si actor sit, ut ibi: patronus possessor est liberti, & propterea non videbatur, de Jure patronatus docere debere: contra quam tamen dubitandi rationem, concluditur, patronum de Jure suo docere debere, propterea quod sit actor. Dicitur etiam onus petitoris. *l. 1. §. 3. ff. uti possid.* In *l. 8. §. 3. ff. si serv. vindic.* videtur accipi, ut petitoris partibus fungi dicatur, qui prior ad judicium provocare debeat, h. e. quis actor esse debeat: possessoris autem partibus fungi, qui ad judicium & causam dicendam vocatur, h. e. Reus: quæ interpretatio vel ideo recipienda, quia aliàs non posset evenire, ut idem esset & possessor & petitor, quod tamen fieri post. *l. 6. §. 1. ff. d. t.* Sanè quicquid dicatur, non videtur Theophili paraphrasis contemnenda, ut de casu quodam generico, alleg. *§. 2. v. ult. ff. de action.* intelligatur, quiq; accidat in rebus corporalibus: si enim de servitutibus intelligatur, dum vel intelligi debet ita, ut dicatur: *is etiam qui possidet, actionem intentare potest,* id quod jam antea dictum erat. *vers. quod genus.* ut idem statim repeti videatur frustraneum & absurdum, & proinde neque repetitum censebitur: vel intelligi debet ita, ut *possessor, quamvis conveniatur, tamen in uno casu vindicandarum servitutum*, h. e. in negatoriis actionibus, *partes actoris sustinere cogatur;* ut paulò ante explicatum. Ast tunc obstabit *l. 8. §. 3. ff. si serv. vindic.* nisi ibi petitoris partibus fungi, dicatur is, qui prior, sive ultrò agit, quatenus scilicet ab ipso quasi lis inchoatur: possessoris autem partibus fungi, qui convenitur & actionem motam excipit: quæ sententia necessaria est, ne ea lex pugnet cum *l. 6. §. 1. ff. d. t.* atq; ita etiam glossa Accursij ex Azone in *d. l. 8. §. 3.* ut ibi partes possessoris sustineat, qui vocatur ad judicium, quamvis idem cogatur sustinere partes petitoris in probando jure suo. Sed videndus est in *d. §. 2. vers. sanè.* cujus sententiam certam & necessariam dum vulgo investigant Interpretes, à variis variæ afferuntur interpretationes, lectiones, & casus illius conjecturæ. Etenim *d. §. 2. vers. sanè* vel referendus est ad controversias rerum incorporalium, h. e. servitutium, vel ad controversias rerum corporalium. Si de servitutibus loquitur, quod vult Eguinarius Baro ad *d. §. 2.* & Cujac. in notis tam prioribus, quam posterioribus: & in tractat. ad African. 9. in explic. *l. 15. ff. de N. O. N.* Hottom. ad *d. §. 2.* Lyclama 3. Eclog. 10. tum



rum hujus §. 2. vers. *sanè*, sententia duplex afferri potest: prior hæc, ut sanè uno in casu, is qui possidet, quanquam non videbatur propter possessionem partes petitoris sustinere debere, nihilominus tamen actoris partes obtineat, h. e. actor sit, & prior litem atque ultro moveat. Verùm hæc sententia satis explicata etiam, vers. *quod genus*. & vers. *Nam in his*. Ut quivis eam sententiam absque ulteriore probatione facilè inde perspicere potuisset: cumque ea sententia sit q. *πρόσμα* & consecutarium versiculi præcedentis, non potuisset proponi per particulam, *sanè*, & verbum, *nihilominus*: quorum illa exceptionis nota est, hoc v. adversativam sententiam designat. Verum cum absurdum, repeti frustra sententiam perse manifestam, & repeti verbis minus convenientibus, consequens erit dicere, hanc ejus vers. sententiam non esse.

Posterior ista erit: *ut in uno casu*: h. e. in una specie actionum istarum, quibus servitutes vindicantur, is qui possidet, h. e. qui convenitur, cogatur actoris partes sustinere: hoc est, priori loco probare jus suum, antequam actor probaverit libertatem, quæ sententia satis convenienter superiori sententiæ in d. hoc §. 2. subnecti videtur. Nam cum in v. *quod genus*. & vers. *Nam in his*, expositum sit, aliud esse genus actionum in rebus corporalibus, aliud in incorporalibus: & in rebus corporalibus non esse actionem, qua is qui possidet, neget, rem esse adversarij, atque ita tacitè intelligendum datum, esse in rebus incorporalibus actiones, quibus etiam ipse possessor possit agere & ostendere, jus non esse adversario, v. g. utendi fruendi, vel, eundi agendi: convenienter nunc aliud quoque singulare, in actionibus, quibus servitutes vindicantur subjici, scilicet secundam jam expositam sententiam, casum esse unum, quo & ipse possessor, qui convenitur, cogatur actoris partes obtinere: ita ut casus ille unus videatur esse in solis actionibus negatoriis, sed non omnibus; verùm in iis tantum, quibus asseritur & vindicatur libertas naturalis adversus ejusmodi servitutem, quæ tota est contra naturalem libertatem, e. g. si Titius tignum immiserit in parietem Mævij, cum id nullo ei Jure competeret; Mævius autem vindicare vellet libertatem ædium suarum, quæ nullam ejusmodi servitutem deberent Titio: dispiciendum tunc, utrum libertas illa Mævianarum ædium sit adventitia, sive imposititia, h. e. u-

D

trum



- trum servitus immittendi remissa eidem sit, vel libertas usucapta, hoc casu probare tenetur libertatem illam ædium suarum adquisitivam: at verò, si ædes Mævij à natura liberæ sint, tunc si
- 15 Mævius agat actione negatoria, intentio ejus nitetur mera negatione, quæ per rerum naturam probari non potest, quatenus negatio est, *l. 23. C. de probat. l. 10. C. de non num: pecun.* sed tantum per accidens, quatenus circumstantiarum varietas adjumentum fert probandæ negationi: quæ tamen accidentia si deficient, probari intentio actoris agentis negatoria non potest, utcunq; actor verbis affirmantibus in actione sua negatoria fuerit usus. Si enim maximè dicat: ajo ædes meas liberas esse à servitute immittendi tignum; tamen non possit probare istam libertatem, nisi probationibus merè negantibus, scil. quia tibi neque vendita, neque donata, neque legata, neque pacto, aliove quocunque modo concessa est hæc servitus: quàm assertionem, quia probare nullo modo potest actor, inutilis ipsi & frustratoria quasi futura esset actio negatoria. Et contra, is, qui tignum, quamvis injuria, immisisset, obtineret propterea, quod actio civilis efficax & apta nulla actori competeret, quod omnidò absurdissimum, maximè si neque vi, neque clam tignum immisisset Reus: Nam si vi aut clam immisisset tignum, tunc utiq; locum haberet interdictum, quod vi aut clam; quod, si vi aut clam non immisisset, immisisset autem patiente actore Mævio, qui eam fortè opinionem concepit, fore, quod Titius cum ipso de servitute conventurus sit: hoc casu neq; interdictum, neq; civilis ulla actio locum habebit, quæ tamen hoc casu vel maximè desideraretur. Itaque hoc casu, quotiescunque ille acciderit, possessor, qui negatoria convenitur, videbatur actoris partes obtinere debere: actore ab onere probandæ negationis suæ, quam probare non potest, liberato: quod certè ab æquitate dissentire non potest: Nam si jus aliquod comperat Titio Reo, facilè id probaverit, cum sit mera affirmatio facti, tantoque magis, quod aliàs quoque ea quæ facti sunt, probari oporteat, & nisi probamus, fidem non consequantur: tum quod ei, qui affirmat, probatio incumbat, non ei qui negat. *l. 2. ff. de probat.* in hac autem actione actor negat, affirmat Reus. Reo igitur probatio incumbet, non Actori.
- 16 Eademque inspectio intervenire etiam potest, *in conditione indebiti*: si enim purè sit indebitum & simpliciter, non potest is, qui agit



agit conditione indebiti, probare se non debuisse, propterea, quod per rerum naturam factum negantis nulla sit probatio, & propterea præsumptione res expeditur. *l. 25. ff. de probat.* Dictum verò est, tum Actorem negatoria agentem, non posse libertatem suam probare, cum vindicatur libertas adversus ejusmodi servitutem, quæ tota est contra naturalem libertatem, sive, cum id, quod Jure servitutis fit, nullo modo possit fieri Jure libertatis. Nam cum id fiat jure servitutis, quod fieri potest etiam jure naturalis libertatis, tum libertas semper erit probanda, veluti, tollere ædes meas altius, id, ut supra d. potest fieri ex naturali libertate: potest etiam fieri jure concessæ servitutis. Itaque si contra me altius ædes meas tollentem vicinus agat confessoria, tum necesse habebit docere, mihi non esse jus aliud tollendi, q. ipsi debeam hanc servitutem: quod si, cum mihi jus esset altius tollendi ad 5. pedes, ego verò tollerem ultra 5. pedes, tum vicinus rectè aget negatoria: jus mihi non esse ultra 5. pedes altius tollendi: quæ intentio probari eo ipso potest, quod mihi ad 5. pedes tantum tollere ex conventionem vel alio modo servitute imposita liceat. Verum cum hæc interpretatio nusquam in Digestorū libris appareat, sed ex juris tantum disputatione desumatur, ideo neq; huic §. 2. *J. de Action.* benè convenire videtur.

17

Quod si igitur *d. §. 2. vers. ille*, ad controversias rerum incorporalium non pertineat, utique referendus erit ad controversias rerum corporalium, quibus Dominium vindicatur, ubi certè casus ille existere potest secundum *l. 9. ff. de R. V.* quæ est sententia C. I. A. *d. l. Charondæ 3. vers. 2.* Tim. Faber. *17. anni vers. 4.* si videlicet rem vindicet Dominus, idemque possessor, ab eo, qui in possessione tantum est & vel alieno vel ipsius Domini nomine possidet: veluti si vindicet ab eo, penes quem deposuit, vel cui comodavit, vel cui locavit, quemadmodum vindicatur depositum in *l. 24. §. 2. ff. de reb. auct. Jud. possid.* quamvis ibi possit esse utilis vindicatio, non directa sive rei vindicatio. Atque inde fit, ut is qui Rei vindicationem instituit, non dicatur renunciassè possessioni, sed interdicto retinendæ possessionis uti possit, etiam pendente Rei vindicatione. *l. 12. §. 1. ff. de acquir. possess.* Atque ita Theophilus quoq; *d. §. 2. J. de action.* interpretatus videtur: Nam cum docuisset, possessori non dari Rei vindicationem, mox subjicit: in uno casu possidentem movere posse actionem

18





in rem, h. e. quod idem, qui possidet, actoris *l'âxi* ordinem sive vicem sustineat: ita ut *d. §. 2.* verba: *sanè uno casu*, non significant, unum casum numero sive casum individuum, sed unum specie sive in genere, quasi diceret: in uno genere actionum &c. quando nempe possessor agit contra detinentem. Quamvis enim præter hunc casum multi dentur casus, quibus partibus actoris fungatur is, qui possidet, non possunt tamen ad *h. §. 2.* applicari, utpote, (1.) in *l. 14. §. si quis autem. ff. de probat. l. 9. Cod. de præscript. seu Except.* ubi Reus, etiam possessor, ex conventionem actoris partes sustinet. Respond. enim, eum quidem in probatione actoris partes sustinere: sed non etiam in *l'âxi* & ordine agendi: Hic autem is qui possidet revera actor est, non modo in probationibus instituendis; verum etiam in ordine iudicij.

Sic (2.) Reus sive possessor sustinet actoris vices sive partes in probandis exceptionibus. *d. l. 9. l. 19. ff. de probat.* postquam scilicet actor probavit intentionem suam. Verum, *respond.* non esse unum eundemque & Reum & actorem. *d. §. 2.* autem loqui de eo casu, ubi idem est possessor, & actor etiam ordine iudicij.

Ita (3.) in actionibus duplicibus idem est Actor & Reus. *l. 10. ff. fin. regund. l. 2. §. 3. l. 44. §. 4. ff. fam. erisc. l. 2. §. 1. ff. comm. divid. l. 13. ff. de Judic. l. 37. §. 1. ff. de O. & A.* Sed *Respond.* ibi eundem esse actorem & Reum ex natura actionum: in *d.* autem *§. 2.* agi de possessore, qui actor est revera, non etiam Reus: & quidem in actione simplici.

(4.) Objicitur *l. 1. §. 6. & passim. ff. uti possid.* ubi in interdicto uti possidetis, possessor probat se possidere. Verum agitur *d. §. 2.* de actione directa in rem & ordinaria, non de interdicto & extraordinaria actione.

Est etiam (5.) *l. 25. princ. ff. de probat.* ubi, qui initio negavit se accepisse, si convincatur accepisse, cogitur probare, quod acceperit indebitum. Verum *Respond.* ibi quoque Reum in probationibus suis sustinere partes actoris, non etiam ordine iudicij, ut ipse sit actor, qui litem moverit.

Sic quoque (6.) in *l. 8. §. 13. ff. de in offic. Testam.* filius qui in possessione est hereditatis, conventus hereditatis petitione ab herede scripto, potest in modum contradictionis inducere querelam inofficiosi Testamenti. Sed *Resp.* loqui *d. §. 2.* de eo casu, ubi non jure reconventionis Reus agit, sed ubi Reus primo litem instituit.

Manet



Manet igitur unicus casus tantum; sed in genere, (nam & generale quid significari verbo casus, non tantum ex hoc §.2. verum etiam ex *l. ult. C. de Edend.* patescit,) quo scilicet Rei vindicatione agere possit possessor, quando scilicet agit contra detinentem, non possidentem, sive, quod idem est, contra possidentem alieno, vel etiam actoris nomine: & proinde nihil in sapius allegati §.2. *J. de action.* textu mutandum: minus eidem adjicienda negatio, ut quam neque libri scripti, neque Theophilus d. l. agnoscunt.

Verum contra id, quod jam supra dictum est, in controversiis servitutum etiam possessorem posse esse actorem, objicitur *l. 8. §. 3. ff. si serv. vindic.* ubi ita definitur: Si quaeritur, quis possessoris, quis petitoris partes sustineat, sciendum est possessoris partes sustinere, si quidem tigna immissa sint, eum qui sibi servitute debet: Si v. non sint immissa, eum qui negat. Unde efficitur, possessorem servitutis sustinere partes possessoris, non petitoris. Sed *Respond.* quod propter onus probandi saepe quaeratur inter partes, quis possideat, ut non possidens primus actionem instituat, ut *l. 1. §. 3. ff. uti possid. §. 4. J. de interdict.* Cum autem quaeritur, h. e. disceptatur inter partes, quis petitoris vel possessoris partes debeat sustinere, tum locum esse ei, §. 3. interim verò, si velit is, qui possidet, poterit etiam actione uti, qua de jure suo doceat adversus eum, qui eum uti prohibet servitute. Sic qui viam habet, servitute vindicat contra eum, qui aedificat in via & eum ita servitute uti prohibet. *l. 14. ff. de N. O. N. l. 9. princ. ff. si serv. vindic.* sic si stillicidium habeat in praedio vicini, & vicinus aedificando faciat, ne recipiat stillicidium, possum stillicidium vindicare. *d. l. 9. princ. vers. item*, idque sive aedificaverit vicinus, sive nondum aedificaverit. *d. l. 9. princ. vers. sed si quidem.* Sic is qui in possessione juris est, agit vel confessoria vel negatoria de jure eo, in cujus possessione est. *l. 7. ff. de aq. quotid. & est.* non quod is qui in possessione Juris est, cogatur agere & jus suum probare; sed quod actio ipsi competat, qua uti possit, si velit, qualis actio non est in controversiis rerum corporalium.

Objicitur etiam ei, quod haecenus sapius dictum est, de servitutum possessione, quod servitutes sint res incorporales. *Tit. J. de reb. corporal. & in corp. l. 1. ff. de R. D. l. 14. princ. ff. de servit.* Incorporales autem res possideri nequeunt, cum rerum corporalium sit




possessio. l. 3. princ. ff. de acquir. possess. & cum possessio corporis simul & animi actu adquiratur. d. l. 3. §. 1. l. 1. §. 3. 21. l. 18. §. 2. ff. d. t. servitutes contra, ut res incorporales corporis actum nullum recipiunt: quod etiam manifestò docetur. l. 4. §. 27. ff. de usucap. l. 14. pr. ff. de serv. l. 32. §. 1. de S. U. P.

Sed Respon. per *κατάχρησιν* & abusionem possideri dici servitutes & res incorporales, dum quis scil. utitur servitute: facto enim tantum possidentur, h. e. dum facio, quod est servitutis illius, veluti si iter habeat, facto possidet ille si scil. iverit, & sic deinceps. l. 20. ff. de S. U. P. & ita intelliguntur possideri, quamvis non possideantur. d. l. 32. §. 1. & quasi possessio in servitutibus locum habeat. l. 10. pr. ff. si serv. vind. atque inde etiam de servitutibus interdicta, velur possessoria dantur. l. ult. ff. de servit.

Petitoris partibus fungi dicitur is, qui actor est & onus probandi intentionem suam sustinet. l. 35. ff. de A. possess. non fungi commodo possessoris, sed onere petitoris. l. 1. §. 3. ff. uti possid. l. 62. de Judic. & sic onus petitoris accipitur in l. 24. de R. V. petitoris partes sustinere, in l. 2. ff. ne quis eum qui in jus voc. Sic etiam accipitur in l. 14. ff. de Carbon. Edict. Et sic Rei partes sustinet, qui convenitur, & à quo petit actor. Actoris verò partes sustinet, qui actor est. l. 6. §. ult. ff. eod. sic actoris partes sustinere, h. e. actorem de Jure suo docere. l. 15. in fin. ff. de N. O. N. ita si quis ex servitute in libertatem proclamat, petitoris partes sustinet: si verò quis ex libertate in servitutum petatur, is partes actoris sustinet, qui servum suum dicit, & is cogitur servum suum esse probare. l. 7. §. ult. ff. liber. caus. l. ult. ff. si in gen. esse dic. sic in l. 12. ff. de Except. l. 8. §. 3. ff. si serv. vind. l. 14. l. 18. pr. l. 19. de prob. quamvis ex d. l. 18. pr. & l. 19. ff. de prob. appareat, eum quoque partibus actoris fungi, qui non sit actor. Sic ergo & in d. §. 2. ff. de action. dicitur actoris partes sustinere is, qui actor est. Hæc de loco illo, sive §. 2. ff. de Action. omnium sententia & perplexo & adeo desperato, ut Giph. ad d. §. 2. Bachov. eod. & ad Treutl. 1. disp. 17. th. 13. lit. b. & 2. de Action. 21. fol. 54. post multam disputationem, quasi indignabundi censeant, totum hunc versiculum: *sane uno casu, qui possidet, nihilominus Actoris partes obtinet.* tanquam spurium & falsò interjectum delendum esse; sed hæc hic de illo dicta sufficiant.

AVCTA-





# AVCTARIVM

disputandorum,

DODECAS. XIII.

## ENANTIOΦΑΝΩΝ

Justinianearum.

Ex Libr. III. Inst. Tit. XXIII. & XXIV.

annotatarum.

I.

Obligaciones (*civiles, efficaces*) etiam consensu fiunt & contrahuntur, ita ut nec scriptura, nec presentia omnimodo opus sit, ac nec dari quicquam necesse, ut substantiam capiat obligatio. *Tit. I. de oblig. ex consens. l. 2. pr. & §. 1. ff. de O. & A.*

Immò

Obligatio (*civilis, efficax*) consensu, cui nulla subest causa, non potest constitui. *l. 7. §. 4. ff. de pact. l. 15. ff. de prescript. verb.*

2.

Obligatio in Emptione Venditione consensu fit & contrahitur, ita ut nec scriptura, nec presentia omnimodo opus sit, nec dari quicquam necesse sit, ut substantiam capiat obligatio. *d. Tit. I. de oblig. ex cons.*

Immò

Sine re & pretio adeo nulla est Emptio & Vendit. *l. 2. §. 1. ff. de contrah. empt. ut ne quidem intelligi possit. l. 8. ff. d. t. ceu in quibus E. V. substantia consistit, l. 72. ff. eod. ita ut pretium offerri, & res tradi necessum, ut perfecta sit*

lit



fit Emptio Venditio, & actio detur. *l. 13. §. 8. ff. de action. Empt. l. 2. C. de peric. & comm. rei vend.*

3.

Obligatio in locationibus & conductionibus consensu fit & contrahitur, nec dari quicquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio. *d. Tit. I. de oblig. ex cons.*

Immò

Ut in locationibus conductionibus obligatio substantiam capiat, necessum est quidpiam dari. *l. 31. ff. locat.*

4.

Obligatio in societatibus consensu fit & contrahitur, ita ut nec verbis omnimodo opus sit, nec dari quicquam necesse. *d. T. Inst. de oblig. ex cons.*

Immò

Dubium non est, quin societatem & re & verbis coire possimus. *l. 4. ff. profocio.*

5.

Obligatio in mandatis consensu fit & contrahitur, ita ut nec dari quicquam necesse sit, ut substantiam capiat obligatio. *d. T. de obl. ex cons.*

Immò

Necesse est, rem mandato meo comparatam, mihi traditam esse, ut substantiam obligatio capiat. *l. 59. ff. de A. R. D.*

6.

In contractibus consensualibus alter alteri obligatur in id, quod alter alteri ex æquo & bono præstare oportet. *d. Tit. I. de obl. ex cons.*

Immò

Hæc qualitas non his tantum contractibus, sed etiam omnibus, qui bonæ fidei sunt, communis est. *§. 28. & 30. I. de action. l. 7. ff. de Neg. gest. l. 24. ff. deposit.*

7. In



7.

In verborum obligationibus id continetur, quod nuncupatum. *d.T. Inst. de oblig. ex cons. l. 99. ff. de V.O.*

Immò

Officium Judicis in bonæ fidei judiciis tantundem valet, ac potest, quantum in stipulatione. *d.l. 7. ff. de Neg. gest. d.l. 24. ff. depositi.*

8.

Quod arrhæ nomine datum, argumentum est Emptionis Venditionis contractæ. *princ. l. de Empt. Vend.*

Immò

Contrahendæ, & ut contractus perficiatur arrha data videtur. *d.princ. in fin. l. de Empt. Vend.*

9.

Sive in scriptis, sive sine scriptis celebrata sit Emptio-Venditio, impunè ab ea recedere licet, si nihil arrharum nomine datum est. *princ. l. d. t.*

Immò

Nunquam ab Empt. Vendit. celebrata, etiamsi nihil arrharum nomine datum sit, impunè recedere licet, sed semper tenetur ad interesse. *l. 1. ff. de Action. Empt. Vend. l. 6. C. de rescind. Vend.*

10.

Ab Empt. Vendit. ubi arrha data est, citra arrhæ datae jacturam nemo recedere potest. *d.princ. l. de Empt. Vendit.*

Immò

Etiam sine arrharum jactura interdum ab Empt. Vendit. quis recedere potest. *l. 2. Cod. quand. lic. ab Empt. Vend. reced.*

E

II. Quod



Quod Emptio-Venditio, quæ fit scriptura, non aliter perfecta sit & habeatur, quàm si Instrumentum completionem suam acceperit, hoc habet ex constitutione Imp. Justiniani. *d. princ. h. ibi. constituimus. l. 17. C. de fide Instrum.*

Immò

Jam olim & per plura secula ante Justin. Imp. hoc Juris fuit, & obtinuit. *l. 2. §. 1. ff. de contrah. Empt. ibi. sine scriptis.*

II.

Nulla Emptio sine pretio est, nec esse potest. *d. princ. in fin. l. 2. §. 1. eod.*

Immò

Esse potest, nec nulla est Emptio. *l. 66. ff. de jure dot. ibi. Vendit. uno nummo. fac. in arg. §. 6. l. quib. mod. Ius p. p. solv. §. 1. l. de Test. Ordin.*













Strassburg, Diss., 1668-69

ULB Halle 3  
004 791 584



f

TA → OL


nr 1+23 Stück verknüpft

1077









12890.

66.

13

C. I. N. D. N. I. C.  
PARALIPOMENON  
MEJERIANORUM,

*Sive*

1668, 31.  
171.

SELECTARUM QUÆSTIONUM  
JUSTINIANEARUM,

Ad uberiolem Collegij Jurid. Argent. inter-  
pretationem directarum,

DECAD. IIX. QUÆST. IV. V. & VI.

*Quas*

SUB PRÆSIDIO.

*Viri Nobilissimi & Consultissimi,*

Dn. JOHANNIS REBHAN, JCTI,

COM. PAL. CÆS. COLL. JURIDICI

in hac alma Argentoratensi, h.t.

Decani, Senioris, Cod. &  
Feud. Prof. Ord.

Doctoris ac Favoris mei omni observantiæ  
cultu prosequendi.

*In solemnibus Eruditorum Confessu  
disputaturus*

FRANCISCUS MICHAEL NEVEV,  
DE WINDTSCHLEE.

*Ad diem ii Mensis Martii.*

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,  
Imprimebat JOHANNES Schütz.

Anno M. DC. LXIX.

3f.